



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

9. Corbeia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

ipsum fore exemptum & se in exemptionis possessione fuisse à tempore cuius memoria non existit, eidem Episcopo tanquam Dioce-sano suo intendere denegant, & sibi de suis juribus respondere. in eorundem Episcopi & Capituli & Padeburnensis Ecclesiæ præ-judicium & gravamen, quamquam dicti Abbas & Conventus exemptionis privilegium non ostendant. Quare dicti Episco-pus & Capitulum nobis humiliter supplicarunt: ut providere ipsis & eidem Padeburnensi Ecclesiæ paterna super hoc sollici-tudine curaremus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus. quatenus eosdem Abbatem & Conventum ex parte nostra moneatis & inducere procuretis. ut infra quin-decim dies post monitionem vestram obedient dicto Episcopo, vel privilegia exemptionis ostendant. Alioquin vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propositis quod canonicum fue-rit appellatione postposita statuatis. Facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observati. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore substraxerint per censuram eandem appellatione cessante compellatis veritati testi-monium perhibere. Quod si non omnes hys exequendis potue-ritis interesse duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani V. Kal. Martij Pontificatus nostri Anno tertio.



9. CORBEIA. Hoc nomen debet *Aureæ Cor-beie*, Galliæ cœnobio, haud procul Ambianis, ad ripam Somonæ

K 3

Somonæ fluvij, An. Christi 660. à Bathilde, Saxonici generis heroina, Clodovæ 2. Francorum regis conjugé fundato, ex quo in novam *Corbeiam Saxoniam* ad Visurgim Ludovicus Pius ejus fundator religiosorum hominum colonias deduxit. Quod Ioannes Trithemius ex Henrico de Hervordia annotavit, & vita S. Adelardi Corbejensis Abbatis apud Bollandum 2. Januarij. pag. 107. & 117. confirmat.

10. HVXARIAE DICIT IVS PADIBORNA TVÆ. *Huxaria*. (in cuius confinijs *Brunisberga*) à Letznero in Chron. Corbejen. cap. 67. 68. 69. 70. descripta, quamvis in ditione Corbejensi sit sita; attamen ad ecclesiasticam sive sacram jurisdictionem Paderbornensis Episcopi pertinet; sedes illic Archidiaconalis præter *Huxariam*, *Albaxen*, *Tedelsheim*, *Brenckhausen*, *Erckelen*, *Luchtering*, *Boiffsen*, *Corbey*, *Holtzminnen*, *Oldendorp* villam & oppidum, *Meenbergen*, *Homborch*, *Heinhüsen*, *Otberge*, *Beveren* complectitur. ex vetus. MS.

11. QVÆ SI POSTERITAS SERVASSET FOEDERA. Diversissimus religionis in Paderbornensi & Corbejensi ditione status. In Paderbornensi solius Catholicæ fidei cultus floret vigetque; in Corbejensi Lutheri opinione prævalent, Corbejensis Abbatis in tuendis sacris impotentia, & per controversiam à Corbeja, impeditamque Epis. Paderb. officio illic suo, si liceret, functuri ordinariam jurisdictionem multum certè stabilitæ ac propagatae.

## BOCA AD LUPPIAM.

I. BOCA. Brunisbergam castra Caroli M. prælium cum Saxonibus in transitu Visurgis, & diuturna obficio